

vatione formæ venerunt, ita in eorundem corruptionibus in eandem redeunt. Terminus à quo generationis est terminus ad quem corruptionis, & terminus à quo corruptionis est terminus ad quem generationis. Nec tamen tunc formæ corrumpuntur, quia sicut generantur, ita etiam corrumpuntur. Esse saltem desinunt, ita ut nec in substantiam, nec in accidentem, nec modum resolvantur, sed ad modum substantialem terminentur.

§. 3. Verum ingens postulatum est & grandis principii petitio, Formas incunabula sua debere privationi. Id quod à nobis equidem solidè, uti speramus, discussum est suprà. Pessimè autem omnium, vel ex ipsorum Peripateticorum sententiâ, formas materiales in privationem abire asseritur. Quia enim privatio præter absentiam formæ dicit insimul proximam potentiam ad eam recipiendam, proxima autem potentia habetur pro actu, formæ cum abeunt, redeunt, & cum esse desinunt, esse incipiunt. Sic cum canis morietur, orietur. Rectissimè B. Sperlingius in Institut. Phys. q. 4. p. 137. Si post mortem equi in hanc privationem redit anima equi, ergo eō momento, quo redit hæc privatio, redit etiam illa anima: Ergo equus cum moritur, non moritur, & anima cum esse desinit, esse incipit. Et vanum est, quod objiciunt, ut ex nihilo nihil fit, ita & in nihilum nihil abire. Fieri enim aliqvid ex nihilo, suprà dictum. Et si nihil potest abire in nihilum, radii solores, lumen candelæ extinctæ, species intelligibiles, actiones mentis, pluraq; alia in quid quæso abeunt? Sic non minus falsum est, generationis terminum à quo & corruptionis terminum ad quem esse privationem; futile formas nec in substantiam, nec in accidentem, sed ad modum substantialem terminari. Quæ singulæ vel recitasse, refutasse est.

§. 4. Tandem ut dicamus quod res est, Corporum naturalium quæ incorruptibilia alia, alia corruptibilia sunt, illorum formæ manent, quamdiu mundus manet, annihilandæ tamen ad integrum totius universi, cum in nihilum redigentur omnia, quæ venerunt ex nihilo: Horum verò quæ aliae immateriales, aliae materiales; Immateriales h.e. animæ humanæ superstites manent corporibus sublatis, ac vel suppliis, vel deliciis fruuntur æternis quod de fide certum est: Materialis h.e. animæ brutorum, plantarum, mineralium in integrum corporum intereunt & ipsæ, ita ut in nihilum resolvantur, cū nec in substantiam, nec in accidentem illum abeant; Intereunt tamen aliae aliis citius tardiusve.

Ovo de pluribus alio loco & tempore.